



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De Judicijs, seu remedijs possessorijs, in genere, & in specie, coram quo Judice institui debeat Judicium possessorium in rebus spiritualibus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

beat, semper tamen requiritur, exercere talem actum, non ex gratia tantum alterius, sed ex jure quasi sibi competente.

Amittitur autem possessio solo etiam animo non possidendi, ut si quis ex fundo suo abeat, animo eum non possidendi, amittit fundi illius possessionem, non quidem, quod corporalem illius sive naturalem possessionem non retineat, sed quod ex eo corporaliter discedat, sed quod animum non amplius habeat, fundum talem ut suum retinendi, quo animo abjecto, civilem etiam possessionem amittit: Amittitur autem possessio immobilium rerum, si fundum v. g. quem corporaliter occupatum non repetis amplius, vel repulsam passus, nihil ulterius agis; Mobilium vero, si ignorante etiam te, rem tuam mobilem, hac impostero ut sua utendi, eripit aliquis,

§. III.

De Judiciis, seu remediis possessoriis, in genere, & in specie, coram quo iudice institui debeat iudicium possessorium in rebus spiritualibus?

Triplex in genere iudicium seu remedium sive interdictum est possessorium adipiscendæ scilicet possessionis, quam nunquam habuisti; retinendæ, in qua turbaris; & recuperandæ, quam habitam amisisti. Quæ interdicta sicuti pluribus explicant Civilistæ, ita ab illis ulterior subdivisio & explicatio petenda est. Videri etiam potest Auctor Metho. hoc loco.

Illud hic adhuc advertendum, si iudicium possessorium adipiscendæ vel recu-

perandæ possessionis circa spiritualia, vel quasi spiritualia instituat, circa beneficia v. g. jus Patronatus, decimas, &c. quæstio sit de jure possidendi, tum apud Iudicem Ecclesiasticum controversialis institui debet, cum sit de jure spirituali quæstio. Si vero de solo facto turbetur v. g. possessionis, vel expulsi ex possessione Clerici foret controversia, contra Laicum turbatorem, aut repellentem, &c. etiam coram Iudice Laico poterit, cum quæstio hæc facti tantum sit fori sit, nisi illi admixta sit quæstio juris, prout frequenter fieri solet.

§. IV.

An causa possessionis, & proprietatis apud eundem iudicem tractari debeat?

EX c. Susceptis i. h. t. affirmative respondetur, ut ne causæ continentur dividatur, & causæ connexæ inter se facilius expediantur; nisi vel litigantes omnino diversi fori, vel Iudex de utraque causa possessionis & proprietatis cognoscere non possit: Et quantum communiter dicitur, nihil communi habere possessionem cum proprietate intelligi tamen hoc non debet, quod cognitionem judicalem, sed quoad instantiam & essentiam utriusque. Et hinc cui delegata est in genere causa cognoscenda, vel in specie causa proprietatis intelligitur etiam causa possessoria illi delegata, ut docet etiam *Glossa in c. Pastoralis* §. V. *Requisitus* h. t. Alud autem est si cui commissa sit causa possessionis cognoscenda, hic enim super causa proprietatis cognoscere non potest, ut docet *Glossa recepta in c. c. i. h. t. V. In*